DE AUCTORITATE MAGISTRATUS CIVILIS PER AUGUSTANAM CONFESSIONEM RESTITUTA ORATIO, ...

Johann Paul Reinhard, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

A SON ALTESSE SERENISSIME

MONSEIGNEUR

LE DUC

ERNEST AUGUSTE,

DUC REGNANT DE SAXE,

DE IULIERS, DE CLEVE, DE BERGUEN, D' ENGERN ET DE WESTPHALIE, LANDGRAVE DE THURINGE, MARGGRAVE DE MISNIE, PRINCE ET COMTE DE HENNEBERG, COMTE DE LA MARCHE ET RAVENSBERG, SEIGNEUR DE RAVENSTEIN ETC. ETC.

GENERAL DE LA CAVALERIE

DE S. M. IMPERIALE ET CATHOLIQUE, COMME AUSSI COLONEL D'UN REGIMENT DE CAVALERIE ET D'UN D'INFANTERIE ETC.

Digitized by Google

MONSEIGNEUR,

QVoiqu' il y ait toûjours aſſez d'occaſion pour les ſujets fideles de VOTRE ALTESSE SERENISSIME de VOUS temoigner le zele qu'ils VOUS doivent, je ne ſais, ſi je pouvois en avoir une plus commode ou plus convenable de m'aquiter de ce devoir-ci que la preſente;

Digitized by Google

te; Comme donc la grace, dont il a pleu à VOTRE ALTESSE SERENISSIME de me combler, m'a obligé à compoſer cette piece, je prens la hardieſſe de me jetter au pié de VOTRE TRONE DUCAL & de VOUS conſacrer ce peu de feuilles pour VOUS donner une marque des reſpects tres-ſoumis que j'ai toûjours pour VOTRE ALTESSE SERENISSIME & pour VOUS rendre en même tems mes tres-humbles actions de graces de VOTRE GRANDE CLEMENCE, dont j'ai tout indignement joui jusqu' à preſent. Je tâcherai d'employer toutes mes forces pour ne pas devenir cauſe de la perte de VOTRE GRACE INESTIMABLE & prierai Dieu qu'il repande ſes plus precieuſes faveurs ſur VOTRE ALTESSE SERENISSIME & ſur tout

Digitized by Google

VOTRE païs. Je VOUS ſupplie tres-humblement, MONSEIGNEUR, d'en être perſuadé auſſi bien que de la ſoumiſſion la plus profonde avec laquelle j'ai l'honneur d'être

MONSEIGNEUR

DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME

de Jene
le 28. de Juill. l'an 1740.

le tres-humble, tres-obéiſſant & tres-obligé Serviteur & Sujet
IEAN PAVL REINHARD.

Digitized by Google

Pro-Rector Academiæ Magnifice,
Magnifice Pro-Rector deſignate,
Illuſtriſſimi S. R. I. Comites,
Patres Academiæ conſcripti,
Munerum ſanctitate ſumme venerabiles,
Iurium peritia illuſtres,
Arte morbis medendi inſignes,
Philoſophicarumque ſcientiarum notitia excellentes,
Auditores reliqui natalium ſplendore, doctrinæque laude conſpicui!

JAm conclamatum erat de artibus ſcientiisque, fœda barbaries ſedes eruditionis expulſæ occuparat, * pietas languebat,

* Vid. celeb. IAC. BURCKARDI comment. de Lat. Linguæ in Germania fatis.

bat,* templa cultui divino deſtinata in ſuperſtitioſa fana & delubra abierant, ** ſuggeſtus non concionibus virtutem veram animis Auditorum inſtillantibus, ſed ineptis fabulis ſed deliriis reſonabant, *** cum cœleſti Luthero duce, ſolio, ad quod iniquiſſimis technis adſcenderat, in fauſta ſuperſtitione deiecta veritas divina per bene multa ſæcula temere obſcurata radios ſuos in omnium fere populorum oculos pariter atque mentes emitteret, artes atque diſciplinæ e ſitu & ſqualore extraherentur, cultusque divinus in priſtinam reſtitueretur puritatem. Certe lætitiam, qua tunc temporis omnium bonorum civium pectora perfuſa fuiſſe mihi perſvadeo, quum quæ dudum

* Vid. ſumme reverendi D. MOSHEMII inſtit. hiſt. Chriſt. antiqu. Sæc. XII. XIII. XIV. XV.

** Vid. celeb. D. MIDLETONII comment. de harmonia Papatus & Gentilismi.

*** Conf. ſumme reverendi D. FRID. ANDR. HALLBAVERI inſtitut. homilet. P. I. cap. 1. §. 6.

dudum in votis habuerant, fauſtiſſimum ſortita eſſe eventum, vinculisque quibus tenebantur exoſis diſruptis ac dilapſis antiquæ libertati ſeſe conſpexerint reſtitutos, nulla oratione complecti poſſe autumo.

Satis profecto teſtes illi veritatis, quos hiſtoria eccleſiaſtica nobis exhibet, de univerſa Europa, quin de toto, qua patet, terrarum orbe promeriti eſſent, ſi tantummodo ſacra purgaſſent, ſi eruditionem ab interitu imminente vindicaſſent, ſi ſuperſtitionis ſtirpes eieciſſent. Verum plura adhuc moliebantur, plura perficiebant. Magiſtratibus etiam auctoritatem ſuam, fraude & calliditate Pontificum amiſſam, reſtituebant.

Hæc omnia in memoriam revocant & dies nuper nobis feſtus atque ſanctus & dicendi ſparta, qua hodie fungor. Nimi-

rum non ita pridem divina favente gratia vidimus diem fauſtis ſideribus rediiſſe, quo ante ducentos & decem annos, qui mendacem Papatus doctrinam reliquerant, Auguſtæ Vindelicorum coram Auguſtiſſimo Imperatore ſtatibusque imperii fidem confeſſi ſunt ſuam. Ille dies, qui nos poſterosque noſtros ſero venturos tam beatos reddidit, ille dies, qui maioribus noſtris ab initio tantum periculi minari videbatur, * hodie ut pia recolatur memoria promeretur. Poſtquam ergo mihi contigit frui pecuniis uſui publico deſtinatis a Viro quondam Perilluſtri atque Generoſiſſimo Dno. NICOLAO CHRISTOPHORO L. B. de LYNCKER Sacratiſſimi Romanorum Imperatoris conſiliario Imperii Aulico, pietatis & ſacrarum litterarum fautore memoriæ

* Vide beati IO. IOACH. MÜLLERI Hiſtoriam Proteſtationis Statuum Evangelicorum.

Digitized by Google

riæ immortalis, qui quotannis ex hoc loco memoriam Auguſtanæ Confeſſionis ſolemni ritu recoli voluit, tantum abeſt, ut officium hocce explere renuam, ut ſumma animi voluptate ſummoque ardore, voluntatem viri tam præclare & de Imperio Germanico & de orbe litterato promeriti exſequi, mihi honori ducam. Argumentum autem, de quo in corona hacce ſplendidiſſima in præſentia diſſerere poſſem, indaganti convenientius non ſuccurrit, quam ſi verba facerem *de auctoritate magiſtratus civilis per Auguſtanam Confeſſionem reſtituta.*

Videor equidem videre hanc animorum Veſtrorum, Auditores honoratiſſimi, fore ſententiam, ut ſi rei cuiquam ingenii vires adhibuerim, id iam omni, qua fieri poteſt, animi contentione faciam. At veritas ipſa vices meas ſubit ac pro me loquitur. Non opus eſt, ut multo labore congeſtis

 dictio-

Digitized by Google

dictionum lenociniis mentes Veſtras capiam. Veritas illis non indiget, cum citra omnia ornamenta nuda ſemper & non fucata incedat. Nolite igitur magnam facundiæ oſtentationem expectare, nolite mellitos verborum globulos poſtulare. Attentis modo & benevolis auribus mihi præſtate audientiam, meamque in dicendo ſublevate timiditatem.

Poſtquam Phocas, Imperator Orientis, infauſtis maxime auſpiciis Papatus * & regiminis eccleſiaſtici univerſalis auctor exſtitit, cuius animum nefariis fraudibus ceperat BONIFACIVS III, EpiſcopusRomanus, Pontifices iſti imperii ſummam invadere & ad ſe rapere ſtuduerunt. Quam impio conatu ADRIANVS III. poteſtati Imperatoris reſtiterit,

* Conf. Magnifici & ſumme venerabilis D. WALCHII Rel. Streitigkeiten mit den Papiſten cap. 3. & b. D. ADAMI RECHENBERGII ſummar. hiſt. eccleſ. p. 199. ſq.

Digitized by Google

ſtiterit, quis eſt qui ignoret? Ad quantum faſtigium fictitiam ſuam potentiam evexerint reliqui Papæ, quis eſt, qui neſciat? Et quid quæſo dicam de iniquiſſimis, dictuque maxime horrendis decretis GREGORII VII. quæ *dictatus* nuncupare ſolitus eſt? Perduxit certe his ipſis tyrannicum ſuum eccleſiæ regimen * ad apicem tam excelſum, ut quo progrederetur non haberet amplius. Ipſe IOH. AVENTINVS, ſcriptor fide digniſſimus, contendit, ** hunc imperium Pontificium condidiſſe, huiusque ſucceſſores illud invito mundo, invitis Imperatoribus, ita duxiſſe, ut ſummæ pariter atque inferioris dignitatis homines in ſervitutem redegerint, ſub iugum miſerint, & cuncta fulmine perterruerint. De bellis, quæ GREGORIVS iſte VII. inter Germaniæ Principes excitavit pleniſſime exponunt

* Conf. laudati RECHENBERGII diſſ. de Totatu Hildebrandino.

** L. V. Annalium Boiorum.

Digitized by Google

nunt Hiſtorici, quibus vera commemorandi neque voluntas defuit neque facultas. Lites enumerare, quas ſedis Romanæ præſules de ſpurio dono Mathildino * Imperatoribus Suevica eaque Hohenſtauffica ſtirpe prognatis movere auſi ſunt, nimis longum foret, neque eſt fortaſſis quisquam eruditorum, cui non bilem moverit conſideratio iniuſtiſſimarum contentionum, quibus GREGORIVS IX. & INNOCENTIVS IV. moleſtiam creare & detrimentum adferre conati ſunt FRIDERICO II. Imperatori laudibus ſuis minime privando. Tempora Interregni calamitoſa in uſus ſuos cum converterunt Pontifices, inimiciſſima Imperio Germanico conſilia illos agitaſſe aperte prodiderunt. Quot quantasque ærumnas in LVDOVICVM BAVARVM convoluerit ſo-

lo

* Vid. doctiſſimi IOH. FRID. IOACHIMI commentatio de ſpurio Mathildino dono an. 1736. Halæ edita.

Digitized by Google

lo improbitatis nomine clarus Papa IOANNES XXII. & illi ira flagrantes referunt, qui eccleſiaſticam illius ævi hiſtoriam litterarum monumentis conſignarunt, * & illi, qui in civili Hiſtoria recenſenda ſuum defixerunt ſtudium. Inſequutis deinceps temporibus neque animos neque mores mutarunt Pontifices Romani, ſed omni induſtria id egerunt, ut cum Imperatorum ſumma auctoritas tum Principum Imperii poteſtas detrimenta caperet. MAXIMILIANVM I. Imperatorem perenni laude florentem, &, ne Imperatoriam dignitatem nanciſceretur, impedire ſtuduerunt, & ignominia adfecerunt & in varias ærumnas, in varia bella, in varios caſus maxime adverſos coniecerunt, dolis uſi æternam exſecrationem merentibus. Neque meliora fata experti ſunt CAROLVS V.

FER-

* Vid. Magnifici, Illuſtris & ſumme reverendi D. CYPRIANI Hiſt. Papatus cap. 22.

Digitized by Google

FERDINANDVS I. & MAXIMILIANVS II. odio Pontificum in auguſtiſſimam gentem Auſtriacam non imminuto, ſed impie continuato.

Regna, Imperia, Magiſtratus, Respublicas ita exortas eſſe, ut ſingula tuguria, hinc illinc diſperſa, in oppida, in pagos coaluerint, mortalesque cervices ſuas imperioſo principum ſceptro ſubieciſſe, ut ſalus ipſorum augeretur, opes ac fortunæ protegerentur, & ita ſecuritas obtineretur publica, notum eſt omnibus atque manifeſtum. Hic finis erat, ob quem maiores de bono haud ulli terreſtrium facile poſtponendo, libertate nimirum, * concedebant. Hoc commodum erat, cuius adſequendi gratia homines, quos natura ita produxerat, ut nullum niſi Deum O. M. ſuperiorem agnoſcerent, ut nulli niſi Numi-

* Vid. b. D. MICH. HENR. GRIBNERI Princ. Iurisprud. Nat. P. 2. cap. 1.

Digitized by Google

Numini ſupremo cultus exhibere cogerentur, ſponte iuga ſubirent, leges ſibi dari ſubiectorumque nomen, antea ignotum, ſibi imponi paterentur Illi igitur, quibus populos & provincias regere conceſſum, omnia ita dirigant neceſſe eſt, ut civium ſalus amplificetur, & ut cuncta, quæ ei noxia videri poſſent, amoveantur, ſupprimantur, deleantur. Hinc ille, qui hiſce adverſatur, ſocietati humanæ damnum inferre dicitur merito.

Videamus nunc, quam præclare hæc obſervarint præſules ſedis Romanæ. Ad rem modo ſuam attenti, * quomodo divitias corraderent, auctoritatem, potentiam, opesque opibus amplificarent, unice uniceque meditati ſunt. Principis igitur bonæ indolis & Pontificum Romanorum inſtituta atque

* Vid. celeb. IO. ERHARDI KAPPII Schauplatz des Tetzeliſchen Ablaß-Krahmes.

que conſilia toto cœlo differre videbantur omnibus viris probis.

Non igitur mirandum eſt, quod antequam ſacrorum emendatio inſtitueretur, magiſtratus civilis auctoritatem impedirent, ac fere ſuffocarent. Docebant ſe etiam in rebus civilibus ſummos eſſe principes, Imperatores & Reges poteſtati ſuæ eſſe ſubiectos, ſe cives illorum iuramento ipſis præſtito liberare, reges eligere ac rurſus ſolio deturbare, populoque alium creandi facultatem poſſe largiri.

Multum etiam officiebat * Auctoritati Magiſtratus ciuilis & tranquillitati Reipublicæ, quod omnes ac ſingulos clericos, adeoque magnam ſubiectorum partem, imperio civili eximerent. Quam turpia crimina clerici irreligioſi committere, quantas turbas excitare poſſunt, ſi ſciunt, ſe ob facta ſua in forum illis indulgens vocari. Nec tantum perſonas

* Conf. D. CYPRIANI lib. laud. cap. 21.

Digitized by Google

nas clericorum, ſed etiam bona, quæ vocant, eccleſiaſtica potentiæ principis ſubducebant, ita ut ea quidem multo ſudore innumerisque civium ſumtibus tutari & ab omni incommodo ſarta tectaque conſervare deberet, ſed ne extrema quidem urgente neceſſitate aliquod in ea ius, aliquod imperium obtineret. Namque PAVLVS III. PIVS IV. & GREGORIVS XII. qui ſocietati ſuæ Loioliticæ nomen ſervatoris ſanctiſſimi præſcribere audent, fratribus Privilegium impertiverunt, quo omnia eorum bona omnium decumarum omniumque ſubſidiorum, ſive ad bella contra cœleſtis veritatis hoſtes, ſive ad patrios lares defendendos redduntur immunia.

Neque parum de auctoritate magiſtratus civilis detrahebat, quod querelas ſubiectorum de illis, penes quos ſumma imperii eſt, ad ſe pertingere debere autumarent, eorumque provocationem ad ſedem Papalem admitterent, ut adeo Romæ iterum aſylum quoddam Ro-

 muli,

muli, quo ſceleſtorum & perditorum agmina confugerent aperiretur, illos autem, quos in quæſitorum fidei tribunali hæreticorum numero adſcribebant, tormentis graviſſimis necari iuberent, cauſſis ad Principis aures plane non perlatis. Ita fiebat, ut innumeri homines, ab omni crimine remoti, miſere perirent.

Minuebant quoque Magiſtratus auctoritatem, dum Principes, quin integras gentes, imperata ſedis Papalis non facientes, omni cultu Dei publico, ſacrorum ſacramentorum uſu, quin mortuos ſepultura, prohibebant. En adminiculum callidiſſimum ad Principis potentiam imminuendam, auctoritatem vero Pontificis augendam. Cives, cum putant, ſe propter Principem mediis ad ſalutem æternam conſequendam neceſſariis privari, non poſſunt non eum odio proſequi. Religio enim interdum etiam impiis cordi eſt, præſertim ſi, ut tunc fiebat, totam rem ad cærimonias quasdam externas redire credunt. Quod probe nove-

Digitized by Google

noverant Pontifices, & eam ob cauſam interdum Principes & civitates inſontes tali pœna adficiebant, ut orirentur ſeditiones. Seditionem ſcilicet amat vicarius Chriſti, pacis amantiſſimi.

Tandem etiam magiſtratum civilem omnibus iuribus in rebus eccleſiaſticis & matrimonialibus, quin iure vitæ ac necis orbabant, ſiquidem nullum clericum, ſi facinora vel gravisſima commiſerat, vita privari ſinebant, ſed ſibi pœnam decernendam reſervabant.

At quid noſtri Confeſſores? quomodo hi ſeſe gerebant? an Imperatores & Reges regno ſpoliare, cives iuramento Principibus præſtito liberare, ſe ab imperio magnorum Principum vindicare, ſeditionum ſemina ſpargere & alia his ſimilia tentabant? Minime gentium. Taxabant Monachos quod tam tenuiter de magiſtratu civili ſenſerint, legibus & magiſtratibus obediendum, res ex imperatoriis aliisque legibus diiudicandas, ſupplicia

Digitized by Google

ſontibus iure conſtituenda, iusiurandum po-ſtulantibus magiſtratibus præſtandum eſſe contendebant. Teſtis huius rei omni exceptione maior eſt articulus Auguſtanæ Confeſſionis decimus ſextus, in quo tum vera doctrina de magiſtratu civili explanata, tum erronea ſententia reiecta eſt atque profligata. Explicuerunt in eo pii confeſſores officium magiſtratus, huiusque & divinam originem & genuinas rationes & rectum adminiſtrationis modum. Deinde de officio civium ditioni magiſtratus ſubditorum expoſuerunt, exploſis ſimul cum Anabaptiſtarum tum ineptiſſimorum Monachorum erroribus. Sicque vere mihi videor poſſe contendere, ingentia beneficia iuris * ex hoc Auguſtanæ Confeſſionis capite & ad ipſos Imperatores & ad Status Imperii redundaſſe.

Læten-

* Vid. JCti Hallenſis & dignitate & doctrina illuſtris D. IVSTI HENNINGII BOEHMERI diſſ. de beneficiis iuris Auguſtanæ confeſſionis.

Lætentur igitur tanto beneficio neceſſe eſt & Imperatores & ſtatus Imperii Germanici. Sentiunt profecto Status Pontificiorum ritus ſequuti regimen Papale & Epiſcopale in Principes fractum eſſe, iura ſtatuum in vigorem ſuum eſſe vindicata, in fundamenta iurium eccleſiaſticorum diligentius poſſe inquiri, eosque ipſos maiori nunc gaudere libertate conſcientiæ. Status autem Proteſtantes iura ſua complura per Auguſtanam Confeſſionem ipſis reddita grato agnoſcunt animo. Et quia confeſſio Auguſtana pacem religioſam generavit, hæc autem pacem Weſtphalicam peperit, ſolemnes hodie lætitiæ publicæ ſignificationes merito edunt omnes, quotquot a Pontificum erroribus deſciverunt. Servet Deus O. M. ſalvumque præſtet Sacratiſſimum, invictiſſimum, auguſtiſſimumque Imperatorem CAROLVM VI. Dominum noſtrum multo clementiſſimum, pacis religioſæ & Weſtphalicæ vindicem. Omnibus beatitatibus tanto faſtigio dignis comulet S. R. I. Principes Electores confeſſionis Auguſtanæ, pacis item religioſæ & Weſtphalicæ ſtudioſos. Largiſſimas præcipue cœleſtis benedictionis divitias conferat in Sereniſſimum Celſiſſimumque Principem ac Dominum ERNESTVM AVGVSTVM Ducem Saxoniæ Vinarienſem, patrem patriæ indulgentiſſimum, cui pro inſigni in me collata clementia perpetuas debebo gratias. Item in Sereniſſimum

Celſiſſi-

Digitized by Google

Celſiſſimumque Principem ac Dominum WIL-HELMVM HENRICVM Ducem Saxoniæ Iſenacenſem, Rectorem huius Academiæ Magnificentiſſimum, cuius ſub regimine hoc ſacrarum humanarumque doctrinarum domicilium inſigni flore exſplendeſcit: nec non in reliquos Sereniſſimos Celſiſſimosque Saxoniæ duces ſtirpis Erneſtinæ, huius academiæ nutritores munificentiſſimos. Cuncta bona ipſius deſideriis reſpondentia tribuat Perilluſtri atque Excellentiſſimo Viro ERNESTO CHRISTIANO S.R.I.L.B. de LYNCKER Equiti Rhenano, Sacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtatis conſiliario Imperii Aulico, Sereniſſimique Marchionis Brandenburgico-Onoldini ab intimis ſtatus publici conſiliis, magno filio, magni illius LYNCKERI, ex cuius piiſſima voluntate memoria formulæ religionis, in Auguſtanis Comitiis coram ſenatu procerum Imperii recitatæ quotannis hic celebratur. Eximiis beneficiis afficiat celebratiſſimæ huius Muſarum ſedis Pro-Rectorem Magnificum, Pro-Rectorem Magnificum deſignatum, omniumque ordinum Profeſſores, præſertim ſumme venerabiles theologos, patronos meos ſingulari & eximia pietate colendos. Floreat religio, vigeat pax, ſarta tectaque conſervetur civilis, magiſtratus auctoritas, perenni gloria; fruatur hæc Academia!

DIXI.

❧)o(❧

Digitized by Google